

# HISTORIARUM INDICARUM LIBER QUARTUS.

**S**EQUITUR annus octavus a sesquimillesimo, insignis gravi clade Lusitanorum, & acerbo Laurentii Almeidæ eximii bellatoris interitu. Is, cum ad Cocinum e Ceilano insula revertisset, ad custodiam inde Malabarici maris navibus octo prodierat. Interea Calecutanus & Arabs, suæ uterque gentis ac sectæ populos Regesque ad arma instigare; accusantes ignaviam, quod abditi intra mænia & portus, alienigenas homines, natura, sermone, legibus, institutis multo magis, quam maris atque terrarum intervallo disjunctos, tamdiu vagari toto pæne Oriente populabundos, neque classes modo, sed jam, si Diis placeret, colonias quoque in Asiam arbitrato suo mittere paterentur. Hujusmodi castigationibus monitisque, cum alios principes ac dynastas, tum vero Mamudium Cambaiæ Regem, præpollentem ea tempestate opibus armisque, in causam traxerant. Est autem Cambaiæ regnum, qua bicornis Indus in mare fertur, soli ubertate, finium amplitudine, fluminum, vicorum, urbiumque frequentia inclytum in primis. Ab Oriente Mandoam terram, ab Occidente Nauracos seu Gedrosios attingit: a Septentrione Sangæ ac Dulcindæ regnis; a Meridie mari & limite Decanio terminatur. Ipsa regio, Cambaia; populi, incertum unde, Guzarates appellantur: superstitionibus & mercaturæ apprime dedita gens; bello admodum inutilis. Itaque externo fere milite Reges utuntur. ac Mamudius, quod erat ex hæresi Mahometana, Ægyptium Campsonem ejusdem superstitionis præfidem per litteras ac legatos urgere non desistebat, ut promissa Zamorino auxilia tandem aliquando summitteret. Idipsum Zamorinus & Ægyptii negotiatores assidue flagitabant. Hisce tot stimulis actus Campson, quamquam suoapte ingenio pacis quam belli cupidior; tamen cognita ex Mauro monacho ferocia Regis Emmanuelis, Christianæ quidem rei in suo regno pepercit, quod ita futurum Emmanuel sagaci conjectura prospexerat; cæterum ad exturbandos armis ex India Lusitanos, quando nihil prorsus minæ valuerant, animum & curas intendit. Igitur ad materiam novæ classi petendam, onerariæ quinque & viginti cum valido præsidio Mamalucorum (ea erant Ægypti robora) in Ciliciam destinata. In eas cum oneribus redeuntes divinitus factum est, ad universi deinde omen eventus, ut Andreas Amaralius Lusitanus, qui tum erat in principibus Rhodiæ militiæ, cum navibus egregie instructis decem, incideret. Is audacter commisso prælio, Mammalucis ferme trecentis occisis, onerarias sex depressit, quinque captivas abduxit, cæteras in fugam actas foeda coorta postmodum tempestas laceravit ac distulit: decem tantum quassa-

tæ